

traria. Jura equidem communia aliqua homo abs Deo accepit, hæc vero ne Communionem quidem Bonorum introducere, §. IX. docui; hinc cum ad privata & singularia me converto dona ac bona, injuriosus essem, tam in Aluum Dispensatorem, quam in quemvis honestum Virum, qui omni adhibita industria, opera & diu- ac nocturno labore & sudore, bona ac dona sua quidem auxit; ast Quemvis, Tros, Rutulusve fuat, nullo discrimine habere teneretur, Haud exigui quoque ponderis emergit quæstio: An ipsa natura rerum communioni non refragetur, de qua sententia ut affirmativam credam, amplæ supersunt causæ; hac etenim non admitta, corrueret certe omne fundamentum Dominii & proprietatum, absit vero hoc per omnem modum. Quod vero ad Conservationem, & quidem private nostram, spectat, pluribus legas CICERONEM, in *Oratione pro P. Sextio*. Tom. II. Opp. p. m. 356. s. quod idem caput more suo, hoc est solide ac judiciosissime, illustravit DN. SCHUNZBERGER. in *Dissert. que legitur Vol. I. N. XLIII. & exhibet Jus Belli circa fana & sepulchra*. §. II. s. p. 2. s. Quod & ad sententiam de Communionem Bonorum pertinet, legatur BECMANNUS, qui GROTII Opinionem de Communionem Bonorum primæva, feliciter discussit ac removit, in *Notis, de Jure Belli ac pacis II, II, II. p. 340. s. & post, ARNISÆUM, PUFENDORFFIUM, SALMASIUM, HERTIUM, & innumeros, DN. ZIEGLERUS. de Jure Majestatis. Libr. I. Cap. XXXIII. p. 531. s. conf. Cap. XLI. p. 697.* Quot deniq; capita quidem Jus Naturæ continet, tot causas adhuc recensere possem, nisi actum agerem, hinc & ad alia me confero.

C 2

§. XII.